DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
METRORRHAGIA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
D. D. PROFESSORUM
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE
LAUREA RITE OBTINENDA
IN CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

Carolus Nickerl,
Hungarus Pesthiensis.
Medicus Castrensis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Josephinae die 16 Mensis Augusti anni 1832.

VINDOBONAE.
TYPIS LEOPOLDI GRUND.

PARENTI OPTIMO

JOANNI NEP. NICKERL,

ARTIS MEDICAE DOCTORI

EMERITO MEDICO CASTRENSI LEGIONIS PRIMARIO etc. etc.

IN PERPETUAE GRATITUDINIS

TESSERAM

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

OFFERT AC INSCRIBIT

Filius gratissimus.

Lectori salutem!

Tandem mihi, quam per tot annos adfectavi, metam contingere datur. Pagellas has publici juris faciens, ultimum legi scholasticae solvo vectigal. De Metrorrhagia scribens Synopsin fluxus menstrui physiologici omittere nolui, valdopere enim convictus sum, quod quivis medicus rationalis de morbo aliquo cogitans meditansque ad normalem organorum, functionumque vitalium labe adfectarum statum simul animadvertere debeat, ut eo clarius aberrationes naturae perspectas habere possit.

Contuli, comparavi, unum alterumque de hac materia volvi revolvique librum, sed nullibi adeo concinne et tam solido ordine systematico morbum hunc pertractatum inveni, quam in opere summopere venerandi Praeceptoris mei Domini Consiliarii Bischoff, hinc factum est fateri equidem non erubesco, quod illius monita in rem meam converterim, in parte praecipue therapeutica. Caeterum juveniles meas velis respicere vires, acuto ne secer unqui. Vale!

Caput I.

Fluxus menstrui synopsis physiologica.

§. 1.

Solum animal, quod sanquinem sine morbo et ad certas periodos ex lege naturae profundit, humana est foemina. Haec utero maturo, sex circiter per lustra imposita est dira conditio; ac si aliquam hic, coeli, corporis et animi, rationis vivendi diversitas, vel temporis, quo menstrua excretio compareat, ac cesset, vel mensurae, qua cruentum hoc tributum foemina persolvet, differentiam concedit; sors tamen aequalis ubique terrarum hunc sexum regit.

§. 2.

Quem sanquinis fluxum cum *Aristotele* veteres in animalibus antropomorphis, in simiis scilicet, aliisque domesticis animalibus observasse sibi visi sunt, probabiliter jam ab *Hallero* ad furoris venerei effectum reducitur. Nec tamen in omnibus gentibus rato quodam ordine eodemque modo cruentus hicce cernitur fluxus, arcticis populis rarior est, et aestate solum fere observandus, tropicis autem maturius instat, prius etiam cossans: praecocius etiam pubescunt delicatiores puellae mag-

narum urbium luxu emollitae, multo serius rusticae corpore rigido et parum irritabili. Sub temperato coelo puellae tredecim aut quatuordecim annos natae prima hujus menstrui cursus molimina experiri solent, recurrit autem in sanis quovis mense ad quadragesimum quintum vel quinquagesimum usque annum; quo primum turbari dein vero penitus deficere solet. Quae utero gestant destitutae esse eo fluxu consuescunt, in rarioribus exemplis sanquinis abundantiam denotantibus ad medium saltem gravididatis tempus super esse, frequentius in lactantibus recurere solet.

§. 3.

Solent autem, dum instat is fluxus, praecedere varia phaenomena tum impulsi fortius sanquinis in has partes, tum turbati generatim circuitus, tum etiam adfectarum partium vicinarum. Frequentissimus est humoris seroso-albidi fluxus in puellis tenerioribus ante menstrui sanquinis cursum, qui etiam postea nonnunquam nunciari illo solet. Dolores lumborum et crurum, lassitudo tantum non semper menstrui fluxus praenuncii a sinubus venosis ossis sacri et vertebrarum lumbalium sanquine turgidis, atque a nervis sacralibus et lumbalibus adfectis oriuntur. Colici etiam dolores indicant abundantem in hypogastricis vasis sanquinem, et plexuum mesentericorum, cum quibus nervi uterini cohaerent, adfectionem.

Accedunt imi ventris inflatio, et calidi humoris quasi in pudenda depluentis sensus. Tum vero magis universalia: turgor vasorum, maculae rubrae, aut exanthemata, pulsus concitati irregularisque

noctes vel insomnes, vel insomniis expeditae, capitis dolores, vertigines, et hallucinationes sensuum.

§. 4.

Quibus praegressis stillare incipit e vasis et uteri et ipsius vaginae sanquis vel purus floridusque, vel parum serosus, vel etiam spissior, et nonnihil lividus, qui et in sanis virginibus nescio quid singularis olere solet et celeriter corrumpi: unde licet venenatum habere eum sanquinem superstitiosum sit, negari tamen nequit, halitus quosdam simul emitti qui in distans agere et fermentationem vini aut cerevisiae producere possunt. Quod viri fide digni uti etiam *Curtius Sprengel* non semel experti fuerint, probabile est in eo sanquine aliquid excrementicii evacuari.

Solet autem, si valetudo optima est, perquatuor dies continuos noctu minus stillare tantum sanquinis ut paulo ultra sex uncias pondus totius semel excreti sanquinis aestimaveris. Quo quidem fluxu et infirmantur vires, et habitus faciei livoris aliquid adipiscitur.

§. 5.

Fontes illius fluxus haud ab omnibus iidem ponuntur. Arterias quidem certe capillares e villis sanquinem fundere persuadeor, cum a *Boerhavii* inde temporibus saepius manifeste visa fuerit ea origo.

Quae arteriae licet et in hoc viscere continuo in venulas transeant, patuli tamen sunt earum fines in villis massa laxissima cellulosa clausis, e quibus sine laceratione ob impetum majorem sanquinis expeditus effluere potest. Nec recte hoc mihi

affirmanti opposueris cordis imperium nullum esse in menstruo cursu, aut periculum majus imminere, si arteriae fuderint illum cruorem, quando quidem arteriae capillares cordis imperio subjectae non sunt, neque sanquinis ex iis cursus adeo hominem praecipitat ac ex arteriis rubris. Accedit in secunda valetudine floridum esse, nec atrum aut lividum sanquinem qualem in venis stagnantem facilius inveneris. Denique etiam concipi tantus sanquinis fluxus, qui in plethoricis mire saepe abundat, nequit, si e solis venarum ramulis proficiscitur. Uteri autem eaedem, quae vaginae partes in hac sanquinis effusione esse videntur. Exprimi enim sanquis e villis uteri potest, et interceptis menstruis turgent uteri vasa, et e cicatrice caesareae sectionis viderunt nonnulli, alii e prolapso inversoque utero sanquinem manifeste stillare. Neque tamen vaginae sua deroganda est pars cum et ex ejus vasis viderimus sanquinem menstruum pluere, alii etiam observaverint resecto penitus utero, superstitem tamen eum fluxum fuisse.

§. 6.

Cogitate meditateque hunc sanquinis fluxum periodicum perpendentibus, occurit principio incrementum uteri et ovariorum in pubescentibus puellis manifestum, quo fit, ut uterus anteafere cartilagineus ac cum reliqno corpore magis cohaerens, jam melius evolvatur, sanquinis plus recipiat, et functionibus suis aptus fiat. Atque observationibus constat unius modi antea substantiam dum menstrua instant ac fluunt in disparia secedere strata, quorum interius rubicundum leviterque inflammatum

est, inflammatae etiam interdum tubae bestiarum primo furore venereo concitatarum. Sensus quoque jam nascuntur occulti, cum nervis, sanquis irruens inconsuetos stimulos importet. Quo fit ut formetur etiam centrum actionis, quod inquovis organo activo nascitur, a fundo enim uteri inde deorsum procedit contractio, qua sanquinis guttae e vasis exprimuntur, similes nonnunquam dolores accedunt, qui in parturientibus occurrunt. Et ipsa voluntatis sensatio novo et insueto modo vel castissimas puellas commovens, argumenti satis est, hoc sanquinis impetu uterum sensim functionibus adsuefieri, licet manifestum fibrarum et mediae substantiae cellulosae discrimen in virgineo utero nunquam adpareat. Pertinet huc etiam *Denmani* observatio de membranae deciduae quadam specie in utero menstruum fluxum emittente, et vulgaria alia de facillima conceptione proxime a menstruo cursu.

§. 7.

Haud exigui momenti ad illustrandam hanc rem esse arbitror *Wintringhami* computationem, qua invenit arterias muliebris corporis minori robore gaudere, magisque ad venosam indolem accedere: esse enim rationem aortae descendentis in ariete ad robur ejusdem arteriae in ove ut 1100: 1000; et eandem arteriam semet habere ad venam cavam in ariete ut 1238: 1000, in ove 1166: 1000, unde comprobatum est, minus esse robur ateriarum, minusque earum et venarum discrimen in foeminis quam in maribus. Capaciorem etiam esse arteriam descendentem in ove quam in ariete ra-

tione 1105 : 1000, quod quam necessarium sit, et idoneum e majori pelvis ambitu, ac capacioribus organis muliebribus luculenter patet. Itaque et major sanquinis abundantia in aorta descendente, et viscerum generationi dicatorum manifestior ea aetate evolutio, et laxitas arteriarum expediunt sanquinis eum cursum.

§. 8.

Quibus causis accedit arteriarum uterinarum multiplex plicis gyrisque serpentinis convolutio, qua tardatur sanquis, nec illico in venas recipitur, eo minus huic negotio aptas, quo minor est arteriarum ad easdem ratio. Retentus igitur in minimis ramulis sanquis, priusquam novae irruant undae tantum abest ut protinus effluere possit, ut potius humor albus mucosus in puellis excernatur, donec novo impetu, majore etiam sanquinis copia parata cancellos perruperit, arterias capillares implens ac ex his tandem secernendus. Ex quo intelligitur neque arterias rumpi, neque e collecto in sinubus uteri venosis sanquine fluxum hunc exponendum esse, sed ex arteriarum aucta capacitate et transitu ejusdem in vasa capillaria.

§. 9.

Fluxus menstrui periodicae vices a systematis gangliorum imperio dependet, hocce enim systema nervosum in majori nexu cum periodica influxuum cosmicorum actione esse videtur. Gangliorum vis in producendo eo cursu potest et inde declarari, quod puellae, quibus menstruus fluxus imminet, expeditius a magnetismo animali adficiantur, et nonullae per se somnambulae fiant. Huc

quoque facit praeceps earum status, quibus febre nervosa occupatis menstrua fluere incipiunt, ac recursus morborum facillimus, si convalescentes mensibus purgantur.

§. 10.

Lochia sub partu, et post foetus exclusionem fluunt, quae sanquinem primo cum liquore amnii, dein cum membranarum frustulis, humoribusque mucosis mixtum, mox vero magis purum sincerumque referunt.

§. 11.

His legibus physiologica seu sana, foeminis circumscribuntur profluvia cruenta; sed frequenter a recto haec tramite aberrant, atque nunc ordine perverso incedunt; nunc penitus ac debitum aetatis ante terminum deficiunt; nunc vero et copia et impetu majore praecipitant; vel diutius ac par est, continuant, et latice vitali systema vasorum exhauriunt. Easdem haud raro causas contraria salutis haec vitia agnoscunt; nunc vero modo fluxus cruentos ex utero vaginaque morbosos describimus, et in potissimas istorum differentias inquirimus.

Caput II.

Conspectus pathologicus Metrorrhagiae.

§. 12.

Sub nomine Metrorrhagiae (Haemorrhagiae uteri, sanquifluxus uteri) intelligimus fluxum sanquinis ex utero praeter sanitatis leges exortum, in statu gravido et etiam in non gravido.

Quia vero fluxus sanquinis menstruus atque periodicus, uti et fluxus Lochiorum, ad statum uteri normalem pertinent, tunc solummodo fluxus hi morbosum praeseferunt characterem, dum aut non recto apparent tempore, aut vero respectu quantitatis atque qualitatis a sanitatis tramite aberrant.

§. 13.

Vasa, quae in tali casu sanquinem fundunt, in utero et in vagina distributa sunt, multo quidem rarius e vagina, quam ex utero sanquis fluit, nonnunquam autem tam vagina quam ipse uterus simul sanquinis scaturiginem sistunt, ambae enim hae partes unum tantum constituunt organon, vasaque earum anastomosi inter se junguntur.

§. 14.

Diagnosis Metrorrhagiae in genere difficilis non est, sanquis enim in plerisque casibus rivo manifesto effluit (Metrorrhagia aperta); et raro tantum in utero, imo et in cavo abdominis colligitur, nec apertum formare valet torrentem (Metrorrhagia occulta).

Ubi grumi sanquinei, vel caput foetus, vel placenta praevia, vel spamus orificium uteri obturant, vel ubi funiculus umbilicalis intra ovi humani membranas laceratur clandestinus in utero sanquinis fluxus exoritur; dum vero ipse rumpitur uterus occulta haemorrhagia in cavo abdominis insidias struit.

Attamen occulta etiam talis Metrorrhagia cognosci potest ex causis praecedentibus, plerumque externis iisque violentis; e dolore obtuso in plaga effusionis residente, majusque sensim incrementum

capiente; e prominentia regionis uteri sensim exorta; e notis depletionis symptomatibus; denique ex in vestigationis resultatis, saepe enim investigatione impedimentum aperti fluxus reperitur.

§. 15.

Quemadmodum in aliis haemorrhagiis, ita etiam in Metrorrhagia symptomata adesse solent morbo huic *praecedentia* morbum *comitantia*, et quae illum denique *sequuntur*.

Sequentes Metrorrhagia (activae tamen solummodo indolis) agnoscit atque praemittit prodromos: sanquinis in partibus genitalibus congesti phaenomena, uti gravedinis sensus in extremitatibus inferioribus, pressionem, tensionem, doloremque in regione sacrali, frequentem mingendi necessitatem, ardoris sensum sub urinae missione, calorem et intumescentiam abdominis, tumentes aliquantum externas partes genitales, pruritum in perinaeo uti et in labiis pudendis atque in ano; nonunquam etiam in amoenam dolorificamque sensationem uti et tuberosas intumescentias in utrisque mammis, et excretionem e genitalibus humoris seroso — lymphatici brevi ante Metrorrhagiae invasionem in conspectum venientem. — Accedunt frequenter motus febriles, horripilationes atque calores, coenesthesis alienata, lassitudo spontanea, anxietas, siccitas oris, sitis, pulsus frequens, aliquando et nausea et vomitus. Saepe quoque venae haemorrhoidales tumentes dolent, et venter occluditur; impatientes et inquieti redduntur animi; nonnunquam vertigo, visus obnubilatio et adfectiones spasmodicae se insinuant. Interim in sat mul-

tis praevia haec desunt symptomata, et sanquis haud raro ex utero, jam saepius purgato, ut aliis ex partibus sine turbis conspicius fugam orditur.

§. 16.

Comitantur hos ex utero fluxus immodicos virium imbecillitas, faciei pallor, oscitatio. Distinquimus vero duas hic aberrationes:

1) respectu *quantitatis:* sanquis effusus ab aliquot unciis plurium librarum pondus assequi potest, nec non sanquis ex vasis suis, naturae praeter leges, aut placide destillat, aut jugiter effluit, aut cum impetu praecipitat;

2) respectu *qualitatis* sanquinis effusi observamus eum nunc laete rubrum floridumque, mox in grumos coactum, atrum, male olentem, praeterea, ubi vitia uteri adsunt topica, cum muco, sanie, vel pure mixtum.

§. 17.

In specie autem symptomata Metrorrhagiam comitantia ex diversa morbi hujus origine, diversa esse debent, uti:

1) In Metrorrhagia per secretionem sanquinis exorta (quae inter alias species rarissime occurrere solet) congestiones versus partes genitales prodromum sistunt. Primo humor serosus flavescens secernitur, qui sensim rubrum induit colorem, donec sanquinem referat floridum, indolis arteriosae. Sanquis placide destillat, jugiterque fluit, nec magna ejus est copia; symptomata praevia cessant, sed calores, pruritus, doloresque in internis genitalium partibus non raro adhucdum perseverant; sanquis rivo manifesto

effluit, vel vero in casu quidem rariori in utero in coagulum redactus massas format carnosas polypo similes, orificium uteri obturat, reliquoque sanquini viam claudit. Sub hac conditione dolores quasi ad partum enascuntur, et sic sanquis effusus atque retentus eliminatur. Finita tali Metrorrhagia multum levaminis aegra persentit, cutis sicca transpiratione madere incipit, sudor dein prorumpit benignus somnusque advolat reficiens. Neque tamen a redeunte profluvio sanquinis tuta praedicari potest aegra, donec dolores omnes, omnesque sensus morbosi in partibus genitalibus non cessaverint, pulsusque indicium inflammatorium, duritiem, frequentiamque non amiserit.

2) *Metrorrhagia per anastomosin* universali adfectione spastica se manifestat, spastica haec adfectio profluvio sanquinis praecedit, illudque comitatur. Sensus frigoris cum calore alternantes prodromum sistunt, accedunt dein motus febriles, frigus corporis, cutis contractio, sanquinis congestiones inter caput et uterum alternantes, facies inflata rubra atque calida, tinnitus aurium, oculorum scintillae, dolores capitis praementes extremitatum frigus praecipue inferiorum; saepius etiam facies pallida collapsa et frigida, nec non dolores tensionesque in regione lumbali atque sacrali, abdominis intumescentia, dolores pungentes per intestinum rectum et perinaeum transeuntes. Pulsus est parvus, contractus, irregularis, intermittensque. Quo propius profluvium instat, eo frequentiores fiunt

adfectiones spasticae. Phantasia plerumque est exaltata, nonunquam ad delirium usque, irritabilitas sensuum externorum magis acuta, raro tamen etiam obtusa, aegra ipsa admodum sensibilis stimulorumque impatiens. Variae in toto corpore insequuntur turbae atque molestiae, uti palpitatio cordis, asthmatis phoenomena, cardialgia, nausea, vomituritiones et ipse vomitus. In internis genitalium partibus dolores exsurgunt trahentes atque tendentes cum nixu atque calore; congestiones in utero cum symptomatibus supra enumeratis magis magisque adaugentur, dum corporis partes reliquae omnes frigore corripiuntur, magnaque aegram molestat anxietas et inquietudo, mox tremores sudoresque frigidi apparent. Partes genitales externae sunt humidae, raro calidae, quae tamen non tument. Sub ipso sanquinis profluvio symptomata haec haud remittunt, imo potius majora semper capiunt incrementa. Fluxus sanquinis uberior esse solet quam ubi synocha vel sanquinis secretio metrorrhagiam produxerunt, et quo vehementior sanquinis fluxus eo atrocius phoenomena spastica caput suum extollunt. In gradu majori extremitates frigent, sudores prorumpunt frigidi, spasmi dirissime saeviunt, anxietas magna, animi deliquia, sensuum stupor, loquela balbutiens, status soporosus, omnia denique depletiones phaenomena.

3) *Metrorrhagia ex paralysi* vel formam induit febrilem, uti in *Metrorrhagia putrida*, vel vero sine febri incedit in foeminis habitu laxo

spongiosa praeditis, quarum systema vasorum in abdomine atonia laborant, vel quae partu difficili debilitatae sunt, denique in scorbuto et Haemorrhoea petechiali. Dignoscitur talis Metorrhagia sat facile cum nullos praemittat prodromos, omniaque symptomata Haemorhagiae paraliticae ostendit, profluvium nimis largum esse consuevit, phoenomena etiam apparent depletionis, ex illis denique morbis quibus cum pari passu incedit, et quibus symptomatico modo associatur.

§. 18.

Enumerata illa symptomata Metrorrhagiam comitantur, sequuntur autem eam: debilitas totius corporis ac pallor, pedum erecto corpore tumor, hydrops intercus, vel alius universalis; febris lenta, atrophia, ad concubitum generationem impotentia, vel ad novas haemorrhagias, ad frequentes, si concipiunt, abortus, praedispositio.

§. 19.

Aliquando sat difficilis est questio, num cruor ex utero, forsitan praegnante ex lege menstrui, vel morbi propullulet? Temporis interim, quo profluvium cruentum succedit ratio periodici, phoenomenorum graviditatis praesentia aut defectus uteri exploratio, causarum, symptomatum, quae fluxum praegressa sunt, vel comitantur, ponderatio, modus ipse quo sanquis descendit, hic lucem, vix tamen ubique sat fidam, accendunt.

§. 20.

Dividitur Metrorrhagia:

1. Quoad typum in *intermittentem mutabilem*,

vel *fixam*, dum Metrorrhagia certa intervalla fixaque invasionis novae tempora observat, omni plerumque recurrere solet mense, quod in illis praecipue fit Metrorrhagiis, quae fluxus menstrui praematuri aut praeter normam largi, vel ultra justum aetatis tempus se protrahentis sequelae sunt.

2) Quoad vehementiam et durationem admodum variabilem hunc cernimus morbum. Distinquimus *Stillicidium Profluvium* et *Haemorrhagiam*. Nonunquam per plures annos perdurat Metrorrhagia, dum ejus causae permanentes sunt e. g. vitia genitalium organica.

3) Quoad complicationem videmus Metrorrhagiam *simplicem* et *complicatam* e. g. cum affectionibus genitalium localibus, cum polypis, scirrho, carcinomate etc. cum metritide, quae saepe Metrorrhagia critica judicatur; cum febre putrida, et cum scorbuto, in quibus morborum formis Metrorrhagia symptomatica apparere solet.

4) Respectu characteris, seu virium vitalium status, Metrorrhagiam *activam* et *passivam* habemus; illa in vasorum sanquiferorum praecipue arteriarum functione et renisu vitali adaucto; haecce in vasorum sanquiferorum debilitate, partium solidarum laxitate, et nisu sanquinis in dissolutionem fundatur. (§. 15 et 17.)

5) Quoad causam vario modo Metrorrhagia dispescitur, quod inferius ex enumeratione causarum perspiciendum erit.

§. 21.

In causas hujus morbi indagantes in statu uteri

non praegnante sub forma *Menorrhagiae* hunc occurrere observamus, dum scilicet fluxus menstruus abnormis evadit vel 1) praemature apparens vel 2) modum excedens, vel 3) justa periodo saepius recurrens vel 4) post catameniorum cessationem adhucdum se ostendens.

Dispositae sunt ad Metrorrhagiam parentum viribus exhaustorum proles, praecipue quarum mater Metrorrhagiae aut fluori albo subjecta fuit. Praecipue dispositae sunt femellae delicatulae, atque plethoricae.

In enumerandis nunc causis occasionalibus ordinem maxime systematicum Celeberrimi Professoris *Bischoff* retinendo, imo praecepta ejus penitus in rem nostram convertendo, primo etiam causas distinquimus excitantes localiter et generaliter agentes. Ad causas locales pertinent:

I. *Causae idiopathicae*, uti violentiae externae; irritationes locales per vaporem, injectiones, corpora peregrina, protapsus, dilatationes varicosae, hydatides, polypi, molae, scirrhus et carcinoma uteri:

II. *Causae sympathicae* uti tussis vehemens, sternutatio fortis; clysmata et pediluvia irritantia, vermes intestinales, retentiones sanquinis fluxus alius generis, exanthemata retrogressa.

Ad causas in universum organismum influentes referuntur:

a) Aër impurus, frigus humidum;

b) abusus ciborum aromata conditorum uti et potulentorum spirituosorum; medicamenta fortiter stimulantia praecipue cinamomum nec non Emmenagoga omnia atque Drastica;

c) vehementes corporis motus, cursus choreae, cursu vectio per itinera lapidosa; elevatio onerum graviorum venus immoderata atque masturbatio foeda;

d) fortiores onimi adfectus praecipue ira, terror, tristitia, moeror.

Symptomatice apparet Metrorrhagia in febre intermittente, Scorbuto, Diarrhoea, Disenteria, fluore albo nec non in abortu.

Omnes hi influxus in omni tempore Metrorrhagiam producere valent.

Praeter hos autem influxus dantur adhuc alii magis speciales, qui sub *Graviditate*, atque sub *partu*, nec non *post partum* sanquinis fugam morbosam promovent atque sustinent.

§. 22.

Tempore *graviditatis* exoritur Metrorrhagia ut sequela fluxus menstrui adhuc superstitis, quae sanitate secus non turbata, certisque periodis, nec non clauso uteri orificio dignoscitur; vel praepostera avulsione ovi aut placentae, quae sedem suam aut normae convenienter in fundo uteri, aut vero supra uteri onificium habere potest.

In primis quinque gravidatis mensibus sanquis ad orificium uteri effusus irritando agit et contrac tiones doloresque quasi ad partum praeparantes excitat, abortumque post se trahit; aperto jam uteri orificio profluvium cruentum in lucem prodit, si vero orificium uteri adjacentibus ovi membranis clausum fuerit, sanquis post eliminationem ovi rivo effluit manifesto.

Nonnunquam profluvium hoc exiquum est,

dum scilicet avulsa tantum membranae deciduae plaga sine placentae ipsius avulsione sanquinem plorare videtur. Haec Metrorrhagiae species saepe sine artis auxilio cessat, nec abortum post se trahit.

Majoris vero momenti Metrorrhagia gravidarum est illa, quae ex *praevia placenta* originem trahit. Hac etenim ad cervicem, vel ad ipsum os uteri haerente, quamprimum segmentum hujus visceris inferius, sub medio fere octavi mensis, vel paulo tardius, distendi magis ac cedere inceperit, separatio hujus partis ac avulsio ab utero contingit.

§. 23.

Quas regno vegetabili natura proles innumeras in floribus promittit: has magna ex parte ea ipsa citius, ac antequam maturuerint, provide avellit; nec planta tot fructibus gerendis inepta, tam copiosos per abortus adficitur. Gravius animalia praematuras has foetuum jacturas ferunt, ac sicut nullum inter illa, quod tantos ac foemina humana abortus patiatur, existit: ita nulli tam grave ex istis quam illi, imminet periculum. Abortui plerumque dolores quasi ad partum praeparantes, horripilationesque cum caloribus alternantes praecedere solent. Sub finem mensis secundi vel currente mense tertio facillime gravidae abortum patiuntur; si vero foetu non quidem perfecto, sed ad vitam, matris extra sinum protrahendam non prorsus inepto, sanquis cum impetu prosilit partus excluditur praematurus.

§. 24.

Sub ipso partus actu Metrorrhagia exoritur praepostera placentae avulsione totali vel partiali,

rarius dilaceratione funiculi umbilicalis, vel ipso utero sauciato.

§. 25.

Post partum vehementes plerumque esse solent Metrorrhagiae, magnasque vitae struunt insidias. Exoriuntur hae:

1) Ab impedita uteri contractione per corpora peregrina in utero remanentia, uti per placentam vel aliquas saltem ejusdem particulas, molas, ovi membranas divulsas et remanentes foetus partes.

2) Ab uteri ipsius atonia et paralysi quae enormi ejusdem dilatatione, partu difficili praecipue ope instrumentorum aut praegressa versione peracto, praematura secundinarum solutione, et habitu corporis laxo originem suam debet.

3) Ab adfectionibus spasticis.

4) A variis influxibus nimiopere irritantibus, qui largum admodum sanquinis adfluxum in utero post se trahunt, huc pertinent calor intensus, stragula et tegmenta valde calida, medicamenta stimulantia, cibi aromatici, potulenta spirituosa, vehementiores animi motus.

5) Ab inversione uteri.

§. 26.

Consueti Metrorrhagiae exitus sunt:

1) *In sanitatem*, dum profluvium cruentum sensim, sine remanentibus corporibus peregrinis cessat.

2) *In morbos posthumos*, praecipue in chlorosim, hydropem, atrophiam, fluorem album chro-

nicum, polypos, febrim hecticam, scirrhum uteri et crudele carcinoma.

3) *In mortem* per nimiam sanquinis depletionem, vel insidiosa haemorrhagia occulta.

§. 27.

In efficientes causas Metrorrhagiae a locali uteri adfectione exortae indagantes, huc referimus:

1) *Diaeresin* post violentas praecipue vasorum uteri sauciationes.

2) *Rhexin*, post validiores corporis viriumque intentiones, graviorum onerum elevationem, saltum, sternutationem, tussim, partus difficiles et per mechanica circulationis sanquinis in utero impedimenta, uti per tumores vicinos, indurationes, foeces in intestino recto collectas ibique remorantes.

3) *Diabrosin*, ubi in utero partibusque ei vicinis ulcera, polypi, steatomata, scirrhus et carcinoma nidum suum invenerunt.

§. 28.

Respectu *prognoseos* animadvertendum est omnem Metrorrhagiam morbum esse sat severum nec periculi expertem, exceptis tamen Metrorrhagiis criticis saepe maxime salutaribus. Tanta enim jam in genere purpurei humoris ex ingestis, in animalem jam protinus naturam conversi, prae aliis nobilitas, ut magnae ex notabili et repentina ejusdem jactura hominem aerumnae exspectant.

Maximi certe momenti raroque sanabiles sunt Metrorrhagiae e vitiis organicis enatae, quamvis

nonullae foeminarum praesente tali Metrorhagiae insultu frequentiori canam attingant senectutem.

Foeminae fluxum menstruum cum impetu prosilientem habentes, tempore insequenti non raro Metrorrhagiis chronicis subjectae et ad conceptionem ineptae sunt.

Vetulae vehementiori fluxu menstruo nimiopere debilitantur, quamvis exempla non desint, quod in ipsa senectute catamenia sine sanitatis labe per plures perduverint annos.

In graviditate Metrorrhagia quaevis, excepto superstite adhuc fluxu menstruo, malum habet omen. — Abortus eo plus habet periculi, quo maturior foetus; quo citius ovum ex utero effugit, eo levior insequitur haemorrhagia. Ubi placenta orificio uteri perfecte incumbit in magno aegra versatur periculo, nec aliter nisi artis auxilio, partu celeriter promoto ex orci faucibus eripitur.

Sub partu periculi plena est Metrorrhagia, si placenta praemature ab utero avellitur, vel centro suo orificio uteri incumbit; post partum quo citius profluvium cruentum exoritur eo majus est periculum.

Lethalis semper est Metrorrhagia, quae ex dilaceratione uteri originem ducit.

Metrorrhagia post partum insequens et corporibus peregrinis originem debens eo periculosior, quo difficilius corpora haec amoveri possunt. In caeteris post partum Metrorrhagiis, duce experientia, quamvis maximo cum impetu sanquis prosiliat, perfectam tamen sanitatis restitutionem utplurimum exspectare fas est.

Quo brevioribus haemorrhagia intervallis ex utero revertitur, eo pejor est.

Quae vero vix unquam intermittit, ea in longum jam tempus protracta, inter morbos conclamatos numeranda est.

Caput III.

Metrorrhagiae curatio.

§. 29.

In genere in tractandis haemorrhagiis attendendum est, utrum haemorrhagia aliqua indolis criticae sit, vel non; Metrorrhagiae enim activae criticae, cum statu virium vitalium sufficiente, moderata quantitate et cum levamine aegrae incedentis repentina suppressio, sequellus perniciosissimas haberet.

Indicationes in curanda Metrorrhagia sunt:

1) Causas amovere, quo facto;
2) Metrorrhagiam secundum indolem suam activam aut passivam tractare;
3) vehemens sanquinis profluvium coërcere;
4) Reconvalescentiam juste dirigere atque promovere.

Ante omnia, quoad regimen vitaeque ordinem aegrae metrorrhagia laborantis sequentia notanda veniunt:

a) *Situs aegrae* in lecto stramineo aut setaceo (auf Matratzen) talis sit, ut caput depressum, pelvis autem elevata jaceat. Stragula calida arcenda sunt. Quies corporis et animi tran-

quillitas observari debent. Aegra dorso incumbens pedes sibi invicem approximatos habeat.

b) *Aër* in cubili illo, in quo aegra decumbit, sit purus, et temperiem habeat frigidusculam.

Aër humidus atque impurus, qualem in cubilibus paturientium saepe invenimus, uti et atmosphaera calida et aestuans laxitatem corpori inducit, hinc Metrorrhagiam promovet atque sollicitat.

c) Quidquid aegrae animum sensusque externos validius afficere possit, diligenter arceri amoverique debet. Quod praecipue in aegris debilioribus irritabilioribus magnam meretur attentionem. Inoportunae aegram visitationes concedendae non sunt, nullus in cubili sit strepitus, lux vero moderata; omnia denique animi pathemata sanquine viperino magis fugienda.

d) Quoad alvi depositionem notari debet, quod omnes corporis motus morbum augere valeant; hic vasa suppositoria attente sunt adhibenda, ubi vero alvus aegrae obstipa est, clysteris adplicatio non adeo commoda erit, quam eccoproticorum usus.

e) Respectu *somni* Metrorrhagiae character regulam nobis praescribit. Ubi erethismus adest somnus permitti debet placidus, ne tamen sub ipso somno statum Metrorrhagiae saepius investigare medicus negligat. Investigatio crebra Metrorrhagia e paralysi orta magis adhuc necessaria est, hic tamen, donec sanquis prosilit, somnus arcendus est.

§. 30.

Secundum diversas Metrorrhagiae causas diversa etiam hujus curatio adhiberi debet. Amotio tamen causae tam in statu non praegnante quam gravido summus semper indicationis cardo manebit. Hinc polypi ope ligaturae evellantur, sanquis in grumos coactus, et remanentes placentae particulae legibus artis obstetriciae conformiter amoveantur, prolapsus reponantur etc. etc.

§ 31.

Postquam indicationi directae satisfactum fuerit, virium vitalium respectu habito, qua activa vel passiva tractetur Metrorrhagia.

Metrorrhagiae activae in statu non gravido apparatum antiphlogisticum variis rerum conditionibus conformem postulant.

In subjectis plethoricis, dum pulsus tangitur magnus atque durus, statusque adest febrilis inflammatorius, et in abdomine sub attactu dolores excitantur, etiam venam secare juvabit, quamvis in hocce haemorrhagiae genere phlebotomia haud frequenter locum habet.

Inter caetera remedia hic praecipue Emulsiones, *Nitrum*, *Cremor tartari Tamarindi*, *Acidum tartaricum Limonada* indicationi respondent.

Menstruatio praematura plerumque cum erethismo incedit, hinc usus acidorum mineralium, uti *Acidi sulfurici diluti*, *Elixirii acidi Halleri* medici satisfacient exspectationi. Si vero adfectiones simul adfuerint spasticae, tunc *Ipecacuanha*, *pulvis Doveri* dum pulsus nimis frequens tangitur praecipue *Digitalis* bono cum effectu in usum trahuntur.

Fluxus menstruus magno cum impetu apparens similem expostulat therapiam, quietem praecipue et abstinentiam a venere aegra observare debet.

Tempore illo, quo menstrua secretio ob aetatis rationem exulare deberet, Metrorrhagia in subjectis robustis saepe symptomata plethorici status, pulsum durum, genitalium irritationem, adfectionesque haemorrhoidales ostendit. Sub tali rerum conditione venae sectio summum efficit remedium, cui *Nitrum*, *Cremor tartari*, et potulenta acidula jungi debent. Si autem plethora localis magis est, tunc hirudines in regione genitalium pluribus vicibus applicari debent.

In subjectis magis irritabilibus atque delicatulis Acida mineralia remedia refrigerantia, locales sanquinis depletiones, serius autem transitus ad *Melissam*, *Liquorem cornu Cervi succinatum*, et *Castoreum* voto medici respondebunt.

§. 32.

Metrorrhagia in statu gravido, quae ut superstes adhuc fluxus menstruus apparet, quietem et methodum observatoriam expostulat.

In mensibus illis, in quibus abortus contingere solet, proclivitas ad abortum e magna systematis vasorum irritabilitate praecipue in utero conspicua enascitur, haemorrhagiis minoribus cum dolorifica uteri contractione, facie ruboro perfusa, pulsu frequenti praecipue in foeminis illis, quae largum habere solebant fluxum menstruum, cognoscitur. In casu tali per fluxum menstruum plus sanquinis excernebatur, quam ad evolutionem foetus requiritur.

Hinc in tali rerum statu parvae et iteratae venae sectiones, nec non remedia refrigeranti unice auxilium praestant, neque opinio, quod venam secare hic noxium sit, in experientia fundata est.

Solummodo ubi exquisitus adest erethismus, justa causarum excitantium ratione habita et in subjectis irritabilibus, et non plethoricis Acida mineralia et *Ipecacuanha* adhiberi possunt. Praesentibus spasmis *Pulvis Doveri* et *Opium* accelerata sanquinis circulatione *Digitalis* et *Aqua Laurocerasi* primos tenebunt cancellos.

Qua remedium specificum laudatur etiam *Pulvis Carbonum tiliae.* Praesentibus doloribus in vertebris sacralibus hirudinum applicatio, postea Emplastrum aliquod aromaticum regioni lumbali adpositum felici non raro coronabantur successu.

In serioribus graviditatis mensibus, dum avulsio placentae facta est, quies, situs horizontalis, Acida mineralia, epithemata frigida abdomini imposita, et abturatorum (Tampon) adplicatio requiruntur. Ubi placenta orificio uteri inseritur partus citatus et artificialis juxta leges obstetricias promovendus est.

§. 33.

Sub ipso partus opere placcnta praemature avulsa, vel dilaceratus funiculus umbilicalis partus accelerationem exposcunt; ubi partus lente peragitur seu ob uteri atoniam foetus segniter excluditur Metrorrhagia ut passiva tractari debet.

Metrorrhagiae post partum ante omnia causae excitantis amotionem requirunt, ad causas illas pertinent: secundinae, irritamenta gastrica, spasmi etc.

Ne vero medicus modica hic haemorrhagia illico perterrefiat, quia in subjectis robustis talis haemorrhagia salutaris saepe esse solet, neque tamen negligat notabiliorem talem Metrorrhagiam cum justa celeritate et severe satis tractare. Saepe atonia uteri, et exinde Metrorrhagia passiva adest, ubi blanda et continuata abdominis frictio, nec non remedia externa inferius recensenda multum praestare valent. Inter remedia interna eminent: *Ipecacuanha*, *Alumen*, *Elixirium acidum Halleri*, ubi periculum majus imminet praeprimis *Tinctura Cinamomi* (duae aut quatuor drachmae ad quatuor aquae uncias) atque *Opium*.

§ 34.

In statu virium penitus exhaustarum, qui in Metrorrhagiis vehementioribus non raro obvenire solet, seque facie pallida, adspectu mortis imaginem referente, oculis vitreis, loquela exstincta, animi deliquiis, et pulsu admodum debili manifestat, a methodo valide excitante solumodo salus exspectanda est. Huc pertinent ad scopum hunc attingendum, *Tinctura Cinamomi*, *Aether sulfuricus*, *Aether aceticus*, *Liquor anodynus mineralis Hoffmanni*, *Vinum generosum*, *Cortex peruvianus*, *Oleum Cinamomii.*

Eg. ℞. Olei Cinamomi *guttas sex* solve in
Aetheris sulfurici *drachma una.*
D. S. Capiat aegra omni horae quadrante guttas sex.

§. 35.

Remedia externe adhibenda in morbo a nobis pertractato maximi sunt momenti. Horum etiam

remediorum adplicatio a diversis iterum Metrorrhagiae causis dependet, nec non a diversis rerum conditionibus, in quibus auxilium manuale atque instrumentale totum saepe hunc morbum in germine suo exstinquere valet.

§. 36.

Ubi magnus impetus, magnaque adest Metrorrhagiae vehementia epithemata frigida regioni genitalium inposita summam sibi promeruerunt laudem, magna tamen in eorum adplicatione requiritur medici circum spectio, refrigeratione enim et lochiorum suppressione malas facile inducere possunt sequelas. In genere tunc tantum frigoris adplicatio indicata est, ubi systematis sanquinei turbae jam sedatae sunt, et sanquinis profluvium ex ostiis vasorum minimorum propter eorum atoniam dilatatis originem suum debent. Haec autem in vasis minimis contractionis impotentia in Metrorrhagia saepius quam in omni alia haemorrhagia obvenire solet, hinc in vitae periculo ab epithematibus frigidis abstinere non possumus. Si vero haec non sufficerent injectiones aquae frigidae cum solutione Aluminis vel cum aceto, dein obturatores (Tampon) tali liquore impraegnati, et in uterum inducti, ultimo vero, si omnis eluditur ars, et paralysis summa contractionem uteri impedit, manus aqua et aceto madens in uterum inferri debet, ut ultimo hoc remedio uterus fors adhuc ad contractionem sollicitetur.

Externe alexipharmaca, Fomenta aromatica, frictiones spirituosae, cum *Aethere*, *Spiritu aromatico*, *Spiritu saponato*, *Spiritu vini campho-*

rato remediorum interne adhibitorum usui diligenter addi debent.

Pro cura Metrorrhagiam feliciter exantlatam insequente, nec non in Metrorrhagiis chronicis, *serum lactis aluminatum*, *Elixirium vitrioli Mynsichti*, et *cortex peruvianus* voto satisfaciunt. Fontes Egrani, Francisci, Spaani et Pyrmontani magnam etiam promeruerunt laudem.

Qua remedia empirica contra Metrorrhagiam celebrata sunt:

1) Fructus aurantiorum immaturi secundum *P. Frank*, quorum tres vel quatuor nucis magnitudinem habentes conscinduntur, et cum dimidia aquae libra incoquuntur. Actio hujus decocti exstincto in eo ferro candenti adjuvari dicitur. Etiam *Flavedinem Corticum Aurantiorum* saepe prospero cum eventu medicorum nonnulli adhibuerunt.

2) Liquor stipticus Doctoris *Loof* (ex lapide haematite et sale amoniaco ope sublimationis paratus) cujus sex vel octo guttae cum sex aquae unciis mixtae omni hora cochleari uno adhiberi solet. Etiam *oleum martis* laudatur.

3) Extremitatum ope fasciarum constrictio.

Exantlata feliciter Metrorrhagia nedum medici consilium spernetur. Arte adhuc dirigi debet vitae ordo ne Metrorrhagia recidiva hostilem suam invasionem majori cum impetu, majorique cum periculo faciat.

Theses defendendae.

1. Medicina et scientiae et artis nomen in sensu subtillissimo meretur.

2. Motus muscularis theoriam nemo hucusque rite exposuit.

3 Dantur Morbi haereditarii.

4. Trepanatio in casu dubio, tunc instituenda, dum consecutiva irritationis vel pressionis adsunt cerebri symptomata.

5. Saepe remedium potens ipse medicus.

6. Aër atmosphaericus non est conubium chemicum sed mixtum mechanicum.

7. Erysipelas spurium Rustii non datur.

8. Erysipelas verum non inflammatio, sed potius exanthema est.

9. Certa conceptionis signa non datur.

10. Syphilitidis in oculo imago non cognosci non potest.

11. Methodus antisyphilitica Dzondii nec nova, nec certa, nec in omni individuo indicata est.

12. Per unionem diversorum pharmacorum novum distinctae qualitatis exoritur remedium.

13. Nulla datur docimasia pulmonum omnibus numeris absoluta.

14. Ad cognoscendos et curandos feliciter morbos praesertim acutos, consideratio constitutionis atmosphaerae epidemicae summi momenti.

Literatura.

Frid. Hoffmann, Dissertatio de Haemorrhagia uteri. Halae 1730.

P. G. Schroeder, de Haemorrhagia uteri. Göttingae 1771, (opusc. Vol. I. pagina 280—318).

Leake, practische Bemerkungen über die Krankheiten der Kindbetterinnen und Schwangern. Aus dem englischen. Leipzig 1775.

Leroux, Beobachtungen über die Blutflüsse der Wöchnerinnen. Aus dem Französischen von G. F. Held. Königsberg 1784.

G. M. Saxtorph, Dissertatio de sanquinis fluxu uterino. Hafniae 1774.

Max. Stoll, Praelectiones in diversos morbos chronicos. Vol. II. Vindob. 1789, pag. 104 et 381.

J. A. Wendrinsky, Dissertatio de Haemorrhagia uteri. Viennae 1784.

Siebold et Billing, Dissertatio de Haemorrhagia uteri. Wirceb. 1799.

A. le Roy, von den Blutfließen während der Schwangerschaft, bey und nach der Entbindung. Aus dem Französischen von J. F. Lobstein. Straßburg 1803.

C. A. Osthoff, Untersuchungen über die Anomalien der monathlichen Reinigung. Lemgo 1804.

S. G. Vogel, Handbuch der practischen Arzneywissenschaft. 5 Thle. S. 149—192.

P. Frank, Epitome de curandis hominum morbis. Tom. V. p. 290.

W. A. Haase, über die Erkenntniß und Cur der chronischen Krankheiten des menschlichen Organismus. Leipzig 1820. Band 1. S. 383.

J. N. Bischoff, Grundsätze zur Erkenntniß und Behandlung der chronischen Krankheiten. Wien 1831. S. 81.

John T. Ingleby, a practical Treatise on Uterine Haemorrhage in conexion with Praegnancy and Parturition. London 1832. 8.